



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

IV. Quod non admittantur clerici aliarum dioecesum sine literis  
commendatitiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

SIXTUS TOLETANVM. FRIDERICVS III. IMP.  
P. IV. HENRICVS IV. R. CASTELLÆ. 35

ANNO CHRISTI 1475. per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi hortamur , & in virtute obedientiæ monemus, quatenus si prædictorum ordinum celebrationi , & promouendorum ad sacros ordines examini personaliter non adfuerint, duos saltem viros idoneos scientia & moribus approbatos deputent, quibus officium examinationis pariter committant, iniungendo eisdem sub excommunicationis pœna , vt onus hoc sibi creditum fideliter exequantur , nec quidquam dolo, prece , negligentia , munere , vel alias indebite agant. Prælati autem sacram ordinem per seipso contra prædictam prohibitionem \* non scientes loqui latinaliter conferentes , præter pœnas a iure statutas, a quorumcumque sacrorum ordinum, quos tali contulerint , ipsumque indigne promotum ab executione suscepti ordinis : examinatores vero in præmissis culpabiles ab officio & beneficio per annum nouerint se suspensos , nisi ex causa rationabili & multum necessaria , vt in dicta constitutione continetur , cum eisdem promotis prælati viderint dispensandum.

IV.

Vt non vituperetur ministerium nostrum , melius est in domum Dei paucos ministros idoneos adire , quam plures & indignos. Quoniam autem plerumque contingit , vt clerici aliarum diœcesium excommunicati , quidam suspensi , vel interdicti , seu alias inhabiles , propriam patriam deserentes , in nostras se transferant regiones , ibique incogniti diuina officia celebrare nitantur:

Concil. Tom. 34.

E ij

Nos fidelium saluti animarum , vbi maius vertitur periculum , consulere volentes , vniuersis ac singulis archiepiscopis , vicariis , rectoribus , capellanis , clericisque curatis & non curatis per nostram prouinciam vbiliter constitutis , nostro approbante Concilio præcipimus , ne de cetero huiusmodi clericos ad sanctæ matris ecclesiæ sacramentorum administrationem recipient , aut in suis ecclesiis ministrare permittant , nostra vel episcoporum , in quorum diœcesi moram traxerint , non obtenta atque edocta commendationis licentia . Si vero secus fecerint , triginta regalium pœnam eo ipso incurrant , dimidium fabricæ suarum ecclesiarum , dimidium vero pro expensis futuri sequentis Concilii applicandum .

V.

Gloriosum sacrosanctæ ecclesiæ corpus ab æterna Dei Patris prouidentia admirabiliter ordinatum , nullam iure in se deformitatem continere debet . Nos vero qui prælationis infula , licet immeriti , nutu diuino altius euecti sumus , tanto honestatis & vitæ fama inter alios prælucere tenemur , velut sidera in firmamento cœli , quanto maiora sumpsimus de manu Domini , quatenus & membra per bona opera suo capiti corpondeant . Quia igitur per exteriorem habitum , qui qualisve interior prælatorum ornatus esse debeat , significatur , prædecessorum nostrorum hortamenta sestantes statuimus , sacro approbante Concilio , vt archiepiscopi & episcopi ueste linea superiori , vulgariter roqueto nuncupata , in